35

41991

I. N. I.

DISSERTATIO MEDICA CVRIOSA DE A R O, EXPERIMENTIS ANTIQVIS ET NOVIS ILLVSTRATA,

PRÆSIDE

GEORGIO VVOLFFGANGO VVEDELIO,

HÆREDITARIO in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO CÆSAREO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO DVCALI SAXONICO, THEORETICES PROFESSORE ORDINARIO, h.t. RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO, ET FACVLTATIS MEDICÆ DECANO,

PVBLICÆ DISQVISITIONI

expoſita

a

CHRISTOPHORO ELIA Schelhaß/

ISENACENSI,

IN AVDITORIO MEDICO,

Horis Conſuetis,

A. D. Febr. M DCC I.

IENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

INCLITIS ORDINIBVS
PROVINCIALIBVS
SAXO ISENACENSIBVS ET IENENSIBVS
REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS
GENEROSISSIMIS, MAXIME STRENVIS
AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS
DOMINIS GRATIOSISSIMIS ATQVE
HONORATISSIMIS
OB SVMMA IN PATRIAM MERITA
MEMOR QVOQVE BENEFICIORVM
IN SE COLLATORVM
HOC SPECIMEN ACADEMICVM
OBSEQVII ET GRATI ANIMI
DOCVMENTVM

ANIMO DEVOTO CONSECRO

CHRISTOPHORUS ELIAS Schelhaß.

I. N. I.

PRÆFAMEN.

NOn parum intereſt noſſe, quid morbum faciat, & quid eundem tollat. Remedia primo ſumma cura exploranda fuiſſe, nunc vero iam explorata eſſe, communis eſt opinio. Neque tam de cognitis hodie ſollicitudo eſt, quam de nouis, arcanis illis, & melioribus.

Eſt omnino & his ſua gloria, acceſſione indies recentiorum & vetuſtis ſeculis incognitorum magis ornari ſupellectilem medicam; non aliter ac in bello inuentæ nouæ eæque heroicæ machinæ ſtragem longe maiorem edere aptæ ſunt præ pygmæis & exoletis veterum.

Quid multa? luſtratione opus eſt non minus ac πολυμηχανία. Luſtrandus eſt exercitus prius, quam educatur in aciem; luſtranda arma, & reliqua, quæ vſum ſuum commodare, & auertere hoſticum impetum, poſſint, ac retundere.

Veterani tamen milites inprimis probatæ virtutis ac fidei æſtimantur non immerito, tanquam innutriti magis, & tot experimentis habitum indepti, quibus hinc certius fidere queas, quam exercitatis quidem, ſed non expertis.

Liceat nobis inter claſſica, heroica & a prima quaſi medicæ artis ætate celebrata remedia; eaque ἐυπόρισα, ſuo merito laudare ARVM, omnibus aliis contra vtile, neceſſarium, & actiuum, quod dum illuſtrandum ac recenſendum ſuſcepimus, ſupremum inuocamus numen, vt feliciter omnia cedant.

CAPVT I.

DE
Ari origine & natura.

NVllibi fere magis euolutione NOMINVM opus eſt, in foro medico, quam in herbarum aſſignandis ſpeciebus, adeo enim luxuriant ſæpe, vt quot autores, tot nomina occurrant. Et videtur quidem prima fronte exemptum ex hoc cenſu arum, ſed omnino & ipſum eget hac cribratione, ſiue in genere atque abſolute conſideretur, ſiue comparate, cum aliis facta collatione.

Sunt, qui quaſi ἱερὸν, *ſacrum*, dictum putant, imo &, ſi vulgus audias, qui ab Aarone, ex Hebræo idiomate, ob analogiam quandam vocis, deriuationem arceſſunt, vnde & barbare barba Aaronis vocatur. Id vero, ne ſine autore fictum putetur, *Pena* & *Lobelius in Aduerſariis* tangunt. Videntur his ſuccinere, qui Aarum ſcribunt, per geminatum a, vt *Ammannus* in ſupellectili botanica, vel Aaron, vt *Helmontius*, & alii, niſi id feciſſe putemus ad exprimendam accentuationem.

Aſt ex ignorantia Græcæ linguæ, vel Græcorum autorum, id ſine dubio ortum fuerit apud vulgus. Helladi enim deberi hoc nomen, non vero Hebræis fontibus, abunde teſtantur Hippocrates, Ariſtoteles, Theophraſtus Ereſius, Galenus, & quamplures alii. Si quid dicendum, videtur concinne admodum dictum ἀπὸ τοῦ αἴρειν, q. d. αἶρον, *tollens*, ſcilicet morbos, eorumque cauſas & producta, vnde aron & arum promiſcue effertur; vel ab ἄρος, *vtilitas*, quod reuera ſit vtiliſſimum.

Vtut vero, verbis *Plinii l. 24. N. H. c. 16. p. m. 355.* aron magnæ cum dracontio litis habitum ſit, ac non raro inter ſe confundantur; videtur tamen, vt alia diſcriminis genera, ipſi ibidem laudata, non adducamus, facilis deciſio, ſi arum vt genus & ſpeciem conſiderari poſſe ſtatuamus.

Inſi-

Inſinuat hoc ipſe *Theophraſtus Ereſius*, qui non ſemel τῶν ἄρων, *arorum*, in plurali meminit, vt *Hiſt. Plant. l. 1. c. 11. p. 12.* quamuis liti iſti occaſionem ſubminiſtrauerit, quando *l. 7. c. 11. p. 147.* καλοῦσι γάρ, *inquit*, τι δρακόντιον ἄρον, *ſunt enim, qui genus quoddam dracunculi arum appellant.* Et *Athenæus deipnoſ. l. 9. c. 2. p. 371.* ex Phania ſcribit: δρακόντιον, ὃ ἔνιοι ἄρον· ἀρωνία, quod poſterius in margine adſcriptum videtur in textum irrepſiſſe.

Quod ſi enim ordinem inuertamus, & quoddam ex arorum claſſe dracontium, ſeu, vt hodie vſitatius loquimur, ſerpentariam dici, ſtatuamus, longe conuenientius rei & naturæ id videtur. Serpentaria enim huius generis, ſeu dracontium, autore *Ereſio*, καυλὸν ἔχει ποικίλον, ὀφιώδη, *caulem habet variegatum, inſtar ſerpentis*, *l. c.* & *l. 9. H. Pl. c. 22. p. 195.* & *Dioſcoride l. 2. c. 196.* ſeu a maculis thyrſi, ad modum ſerpentis, iuxta *Meſuen*, *l. de ſimpl. c. 24.* nomen traxit.

Id vt magis pateat, ſtatim in frontiſpicio DIFFERENTIAS has arorum delibare conſultum eſt, quæ inter ſe non parum conueniunt. Vt enim reliqua curioſiora non addamus, apud *Raium* cumprimis enumerata, arum aliud eſt *maximum*, Ægyptiacum, Colocaſia ſeu Culcas Ægyptiorum, radice, folliculo, fructu, foliorum item immaculato virore aro vulgari par. Nec facultatum vlla hic contrarietas, languidior tantum Ægyptio culcas acrimonia, teſte *Veslingio Not. in Proſp. Alpin. p. 38.* Et hoc forſan arum maius eſt *Coo* memoratum *l. 3. de morb. c. 25. t. 77.* vbi ἄρου τοῦ μεγάλου ῥίζα, *ari magni radix* commendatur.

Alterum, ex potioribus, eſt *arum medium*, luph ſeu ſerpentaria criſpa Arabum, Ebnſinæ, Meſues, a foliis ita dicta, quæ diuiſa magis illi obtigere. Et hoc dracontium, Græca origine, Latinis ſerpentaria hodie audit κατ᾽ ἐξοχήν, apud Europæos rarior, vel non omnino in vſu.

Tertium eſt *minus*, arum montanum quibusdam, ſeu noſtrum vulgatius, ſerpentaria plana, itidem ob folia plana, non diuiſa, vel ſerpentaria minor quibusdam audiens,

ſed, pro hodierno loquendi vſu, paulo *ἀκύρως*, improprie. *Minimum* reſpectiue, ſeu *ariſarum*, nobis æque rarum, imo rariſſimum, dracunculus minor quibusdam, vt ſerpentaria dracunculus maior dicitur, ne dracontium ſeu arum aquaticum ipſum quoque laudemus.

Sufficit nobis arum, hoc nomine præcipue gaudens, noſtrum illud, quo de ſolummodo & potiſſimum agimus, quodque ſolum officinale hinc eſt, & inſtar omnium. Reliqua enim virtute adæquat, ſi non ſuperat omnino, & quæ in iisdem ſunt, facile applicanda, & omnia habet & cumulata.

Sed, vt redeamus ad nominum ſpecialiorum euolutionem, aron audit, vel arum vſitatiſſime, *ἀρωνίαν* etiam vocatum *Heſychius* refert, quæ vox vt meſpili arboris ſynonymum laudatur apud *Dioſcoridem l. 1. c. 170.* Quæ vero alia a *Caſpare Hoffmanno* & *Cæſalpino* inprimis nominantur, iarum, iarrum, gicherum. gigarum & ſimilia, barbara illa & ex aro detorta, vix opus eſſet vel allegare ſaltim, vtpote exoleta fere in elegantiori literatura, niſi ad declarandam nominis detorti latitudinem facerent. Quandocunque ergo vel arum audit ſerpentaria, vel hæc & dracontium ari nomine venit, ex contextu, vel adiunctis eruendum eſt, quodnam intelligatur, ad euitandam confuſionem, quæ ex duplici aſſignato hoc genere vnice videtur exorta.

Tacemus alias ſerpentariarum nomenclaturas, quorſum & biſtorta ſpectat, ſerpentaria rubra dicta, plane alterius generis, & draco paluſtris, iam tactus, quas & *Plinius* ſub dracontii effigie demonſtratas ſibi refert *l. c. p. 357.* Mirandum vero eſt, quod ſerpentaria montana, ſeu ſidereon, a tam paucis, imo fere ſolo *Muntingio* fuerit deſcripta, pro cuius acquiſitione non parum operæ impendimus, ſed fruſtra. Meminit tamen huius *Phædro in Chirurgia minori p. 76.*

Curioſum eſt, apud *diuinum Senem* arum ſub ALBÆ RADICIS nomine deſcribi, quod ipſum iamdudum animaduertit *Manardus comm. in Meſuen, f. 75.* & ante illum iam

olim

olim *Plinius* ipſe idem innuit, dum refert, Hippocratem & radicem (peſſi loco) vtero appoſuiſſe. Quod maximum eſt, res ipſa & αὐτοψία id demonſtrat, nulla enim eſt magis alba & farinacea radix, quam ari hæc. Germanis vſitato audit Aron/ Teutſcher Ingwer/ Zehrwurtz/ q. d. appetitus incentiuum, item Magen-Wurtzel/ Fieber-Wurtzel/ quæ in taxa Görlicenſi Büttneriana memorantur, ne ludicra alia nomina a piſtillo deriuata afferamus.

Si ideam generalem ex deſcriptione conciſa petitam exhibere velimus, ſequens huc fecerit: Arum eſt herba radice bulboſa oblongiuſcula, carnoſa-fungoſa, foliis planis latioribus, quaſi ſagittalibus, flore peniculato monopetalo ſingulari, baccis hinc inferius caulis coronam ambientibus conſpicua, ſapore acri pungente, maxime quoad radicem polychreſta.

Herba eſt, quoad genus ſummum, de quo nemo dubitat, ſed cum iamdudum apud Theophraſtum genera ſubalterna plantarum, ad quæ tanquam claſſes commodiſſime referuntur, conſtitui & nominari inceperint, referri ſolet communiter ab aliis ad tuberoſas, vt *Laurembergius* de hiſce, plantis bulboſis & tuberoſis, integrum ſcripſit tractatum, ab aliis ad bulbis affines, vt *Raio*, ſeu bulboſas. Aliud enim eſſe bulbum, aliud βολβῶδες, *bulboſum*, ex *Ereſio* conſtare poteſt.

Naſci ſolet ex radice (1) tuberoſa, non σφαιροειδεῖ, ſeu exacte rotunda, ſed tereti tamen, & quaſi tali, oblongiuſcula, ad quam figuram exprimendam στρογγύλου voce Græci vtuntur.

(2) σαρκώδει, *carnoſa*, craſſa, læui, qualis aſſignatur a *Theophraſto*, curioſiſſimo plantarum ruſpatore *H. Pl. l. 1. c. 10 p. 11. & 12.* Pulpoſa ſcilicet eſt, recens, æqualis, fungoſa, mollis toto corpore, & quaſi corticis omnis expers *l. c. l. 7. c. 9. p. 144.* Exiccata probe tota in puluerem abit, nullis fibris filamentoſis, vel reliquiis ligneis reſidibus.

(3) *Candida* illa eſt & ſucculenta, ſi recens fuerit, & tan-

tum

tum non lacteſcens quaſi, farinacea vero, ſi probe exiccata, nullis fibris ligneis intertexta. Et licet ſibi relicta exterius ſubnigricans videatur, non mundata, pulpa tamen eſt farinacea tota, & albiſſima.

Vti vero orchides & ſatyria geminam habent radicem, ita arum in ſimplici illa ſua viſa duplicem tamen ſub initium veris ſubſtantiam exhibet; altera flaccida & ſpongioſa eſt, ſeu effœta quaſi, altera ſucculenta, proprie dicta, & ſola eligenda & adoptanda in vſum, tanquam melior pars plantæ totius, & expetita præcipue.

Secedens enim ſuccus nutritius perennantis huius radicis, & infimam partem deſtituens ſuo tempore, ad propagationem ſui & nouorum germinum, pro futuro anno curioſam hanc ſub terra variationem parit. Notabile hinc eſt, quod menſe Octobri & Nouembri viſendum præcipue occurrit, radicem tunc temporis in tres quaſi diuidi poſſe partes, infimam, ſenſim flacceſcentem, fibris nutricibus deſtitutam; mediam carnoſam, & ſupremam, pluribus nouis fibris & nodis, propagationis ad latera ſe exerentis indicibus, conſpicuam, tanquam progreſſum & inchoamentum nouæ radicis in poſterum annum, & germinum, foliorum, & reliquarum partium ac decorum, quibus prodire & in theatro botanico ſuperbire geſtit.

Ex hoc vero ſtatim patet, quod ad tempus colligendi attinet, effodiendam eſſe radicem hanc, quando ſufficienter adoleuit, & robur indepta eſt maius, menſe Maio inprimis & vltra, quamuis alii menſem Martium nominent; tunc vero & minor, & minus carnoſa & ſucculenta eſt. Maiores reddi, germinandi impetu cohibito a ruſticis, de aris in genere affirmat *Ereſius l. c. p. 12.* quod in eſculentis forte magis in vſu fuit.

FOLIA hinc promit læuia, lata, & acuminata, modo viridia, modo nigricantibus quibusdam lituris notata, quod *arum maculatum* hinc dicitur, nullo cœteroqui quoad vſum diſcrimine ſpecierum, quatenus aliud arum vulgare audit

non

non maculatum, aliud foliis maculatis. Vtrumque indifferenter officinale eſt & recipitur in vſum.

Tacemus, aro cum latitudine folium cauum atque cucumeraceum aſſignari a *Theophraſto Hiſt. Pl. l. 7. c. 12. p. 147.* Flos vero non tam irregularis eſt, niſi laxius & ἀκύρως valde loquendo, quam ſingularis, numerice & diſcretiue, isq; ex vno caule geminæ ſubſtantiæ, elegans, & aliis piſtilli, aliis pedis vituli, aliis, & communiſſime quidem, membri genitalis mechanica expreſſus, vnde & Gallis *vit de chien*, nobis peniculatus audit; isque, colore ex fuſco rubro decorus, ſuo velut pericardio, inuolucro membraneo, cucullo, præputio, vaginula incluſus, quæ duo coniunctim illum conſtituunt. Poſt florem baccas fert, quandoquidem baſin illius racematim cingunt baccæ eximiæ, colore rubello, quæ ſingula hinc deflorent ſenſim emarcida, & commoriuntur quaſi quotannis, perennante radice.

Quod ad LOCVM natalem attinet, creſcit copioſo prouentu hic illic, alicubi locis incultis, ſub ſepibus, inter dumeta, apud nos in montibus graminoſis, Martio vel Aprili menſe folia protrudens, quorum tria vel quatuor posſidet. Floret circa Maium & Iunium.

Ita ergo conſtante idea characteriſtica, de affectionibus reliquis, & electione non difficulter poterimus verba facere. Colore, per dicta, candicat tota radix, & ſiccata longe eximie; odore aliquid viroſi ſeu ingrati videtur ſpirare floridus cauliculus. Sapor vero acris & pungitiuus in recenti præcipue eſt notabilis. Si enim deguſtetur, ipſi piperi vel lepidio contra linguæ fibrillas nerueas afficit, velut pluribus aciculis pungeretur, quem acutum & ſubtilem ſenſum per vnam alteramque horam continuat, citra inflammationem tamen, exulcerationem, ac eroſionem. Idque tam radix præſtat, quam folia.

Variat hoc tamen ratione non vna, ætatis & locorum. Recens ſucculentaque & viridis id magis & diffuſius præſtat, ſpiculis ſub vehiculo ſoluentis humidi magis acuminatis,

natis, ſiccata minus, & tardius. Locis noſtris frigidioribus id eminet cumprimis, vbi arum adeo feruens eſt, & mordax, vt mandentium os, linguam & fauces exurat, ſed quæ in Lydia prope Cyrenem prouenit radix, dulcis & grata guſtu, vt raparum inſtar ea veſcantur homines, verbis *Crollii de ſignatur p. 22.* Imo in agro Bambergenſi ari radicem dulcem fere & linguam non pungentem prouenire, aſſerit *Reineſius orat. de Chim. p. 14.*

Quin & tactui obuia eſt vel explorari poteſt acrimonia hæc, ſiquidem & tangentis manibus locis delicatioribus recens illa bullas ſiue puſtulas inducit, easque exulcerat, teſte *Quercetano, Pharmacop. dogmat. reſtit. c. 20.* Id quod de feculæ potiſſimum præparatione intelligendum venit, ſi quis teneras ac delicatiores habet manus, & improuide ac promiſcue contrectat ſucculentam radicem, vrit inſtar vrticæ, qua mechanica analogica congrue explicare licet hoc phænomenon.

Non poſſumus, quin de hac acrimoniæ varietate & cauſa integrum laudemus locum *Laurembergii Appar. Plant. 1. l. 2. c. 6.* Illud, *inquit*, obſeruatione compertum eſt, tametſi radices omnes recentes acerrimæ ſint, exſiccatas tamen omnem fere acrimoniam depoſuiſſe: vt proinde corrigi amplius opus non habeant. Haut dubio acrimonia illa non occupat penetralia radicis, ſed in ſuperficie hæret, leuique de cauſa euentilata vaneſcit in auras ob tenuitatem. Hoc poſterius vero vix probabile eſt, ſiquidem experientia teſtatur contrarium. *Dan. Ludouici* deprehendit etiam per quadriennium ſeruatas admodum pungere, vt ægroti in pectoralibus ſtomachicisque adſumere non potuerint; puta maiori quantitate & per ſe, citra vehiculum, nam in minori id non valet, & ſi remixta decenter debito modo id fiat.

Rite exiccata, ne mucum contrahat, longiſſimæ eſt durationis, cariei expers, ſi quæ alia, radix, imo eiusdem antidotus, modo loco temperato aſſeruetur, non humido,

quod

quod in genere minus ad perennitatem facit, ſed putrilagini potius veliſicatur.

Quod ſi conſiſtentiam ſpectemus, in farinam tuſa radix illam exacte refert, plicatilem, pultaceam, viſcidam ſubſtantiam ſenſibus offerens, ita vt farinam æmuletur omnino non tam colore, quam affectionibus aliis, ipſaque γλισχρότητι. Si cum aqua ſubigatur, ad glutinanda vaſa vitrea, chartasque & alia, inſtar illius in vſum vocari poteſt commode.

Referri ad examen hoc naturæ ari, illamque illuſtrandam, meretur a brutis deſumptum experimentum, quæ & ipſa a iuuantibus & nocentibus deſumptum vſum in non paucis herbis, vt in diptamno, nepeta, valeriana, aliisque notum eſt, ſuggeſſere homini, & cogitandum ſic, ex qua ratione hoc illud amplexentur, ament, fugiant.

Si vera ſunt, quæ e primiceriis ſcribit de aro *Philoſophus*, vti ſane perquam eſt credibile, arum amat vrſus, & loco remedii inquirit ac deuorat. Refert id gemino loco, vt *l. 8. Hiſt. Anim. c. 17.* vbi cum dixiſſet, vrſum tempore ſui latibuli nihil edere, eiusque inteſtinum per inediam ita conniuere, vt adductum prope cohæreat, (ſubſidentiam vocant medicorum filii,) ſubdit: *καὶ διὰ τοῦτο πρῶτον ἐξιοῦσαν γεύεσθαι τοῦ ἄρου, πρὸς τὸ ἀφιστάναι τὸ ἔντερον, καὶ διευρύνειν. Itaque vrſum latebram egreſſum primum herbam arum dictam deguſtare, vt inteſtinum abſiſtat, & dilatetur.* Idem confirmat *l. 9. H. A. c. 6. p. 706: ὅταν ἐκ τοῦ φωλεοῦ ἐξέλθωσι, πρῶτον τὸ ἄρον ἐσθίουσιν, vrſi quando e latibulo egrediuntur, primum arum comedunt.*

Confirmat idem *Plutarchus l. de ſolertia animalium* doctiſſimo, *Tom. II. oper. p. m. 974.* vbi hæc non parum diſtincte elucidat: *ἡ δὲ ἄρκτος*, inquit, *ὅταν ἐκ τοῦ φωλεοῦ παρέλθῃ, τὸ ἄρον ἐσθίουσα πρῶτον τὸ ἄγριον· ἡ γὰρ δριμύτης ἀνοίγει συμπεφυκὸς αὐτοῖς τὸ ἔντερον. Vrſa cum primum ex antro ſuo prodit, aro veſcitur agreſti, cuius acrimonia aperit inteſtinum ipſius concretum.* Concinit *Ælianus l. 6. de Nat. Anim.* qui itidem *τὸ τοῦ καλουμένου ἄρου τοῦ ἀγρίου φυσῶδες, ari agreſtis natiuum flatulen-*

tulen-

tulentam cauſatur, vnde diducatur inteſtinum, vt facultatem receptandi cibi recipiat; & *Plinius N. H. l. 8. c. 36:* Exeuntes herbam quandam aron nomine laxandis inteſtinis alioqui concretis deuorant.

Mirum vero eſt, apud omnes illos loco ari carum legendum aſſeri a *Caſp. Hoffmanno l. 2. de medic. offic. c. 23. p. 110.* quandoquidem & editiones antiquæ, & *Codices MSS. Harduino* laudati apud Plinium, & apud reliquos conſtans ac vniformis lectio, & rei ipſius conſideratio repugnant. Neque enim carum in ſyluis, ſed pratis creſcit, neque primo vere ſtatim, vt arum, ſuppetit, neque acrimonia illa pollet, vt vix poſſit laudari illa immutandi temere Criticorum lubido, nec vllo modo huc quadret carum, ab aro toto cœlo diſtans.

Idem dictum eſto de alia varia lectione apud Plinium, adducta & defenſa a *Salmaſio* in h. l., qui caram, ſeu paſtinacam, ſeu carotam ſubſtituere amat, dubie etiam ad carum ipſum inclinans, & fluctuans. Repugnat vſus, conſenſus aliorum claſſicorum autorum, & alia, res inprimis ipſa; neque enim vel carottæ, vel paſtinacæ ſylueſtris herba vel radix paria aro præſtiterit.

Hic vero locus eſt & de ignis examine poſt ſenſuum ſcrutinium quædam addere. Vtut enim iamdum ſatis liquidum ſit, ac a priori & a poſteriori euidens, eminere in aro particulas acres, ſalinas, in ſucculenta aqueis ſimul, in arida terreis & ſulphureis fixioribus immerſas, in recentibus magis fluidas & ſolutas: ſalia vero non agunt niſi ſoluta, & in hoc ſtatu fortius afficiunt; nihilominus tamen & ἀναλύσει artificioſa chimica materialia hæc principia poſſunt demonſtrari.

Cuſpidatas illas & acuminatas intellectus ſatis colligit, ſed cum non tam in extima figura vis hæc ſalina conſiſtat, ſicuti in vrtica, & inprimis Romana id claret, microcoſpio armato oculo, imo & autopſia ſimplici, qualesnam ſint particulæ, cuſpides, ſpicula, hiſpidula & haſtulata aſperitas, Chimica ἐγχειρήσει demonſtrare integrum eſt. ℞. rad. ari mund. & exiccat. ℔j. medicam; commiſ-

ſa

ſa retortæ vitreæ, lutandæ, cum recipiente vaſe paulo capaciori, ſubdito igne proportionato, ex arena, primo deſtillat liquor limpidus, roridis guttulis ſeſe excipientibus; ſequitur hinc oleum flauum ſpiſſius butyroſum; tertio ſpiritus forma nebularum placide, ſub iuſto regimine, propulſatur.

Et hinc vero operæ pretium fuerit, de qualitatibus ari ſeu Temperie agere. Vtut enim non pauci hanc doctrinam hodie negligant, & nauci habeant; reuera tamen eſt vtiliſſima, quandoquidem noſcenda eſt omnino qualitas, reſultans ex miſcela ſeu principiorum, ſeu particularum, quomodocunque nominaueris. Noſcenda eſt reſpectu aliorum mixtorum, ſeu hoc loco medicamentorum, noſcenda reſpectu corporis, morborum, & cauſarum morbificarum, quibus ceu indicatum etiam hoc eximium medicamen debetur.

Prodiere ſpiritus huius aciduli, cum ſale tartari efferueſcentis, inſtar ſpiritus tartari, minimum ℥vj. olei partim limpidi, partim fundum petentis, ſpiſſi, nigri, empyreumatici ʒij. ℈ß. capitis mortui, ſeu carbonum ℥iiiß ʒß. e quibus ſalis alcalici ʒß. prolecta, præter ſpiſſi butyroſi olei reliquias in vaſe recipiente inhærentes, cui & retortæ partim reliquæ adhæſere pondere non aſſequendæ particulæ, partim filtro, & in auras euanuere, nec tam accurate menſurari vel obtineri potuere.

Ex his itaque & aliis colligere integrum eſt (1.) non eſſe in aro ſal volatile eminens, vel ab illo vires aperientes aliasque eſſe arceſſendas. Videri hoc poteſt velut παράδοξον, cum vulgata & communis hactenus fuerit ſententia autorum, arum ſal habere volatile acerrimum & penetrantiſſimum, & propter hoc exerere vires antiſcorbuticas. Id ne ſine autore laudemus, vnus inſtar omnium idem aſſerit *Ettmullerus not. in Schröder.*

Aſt cum ſal volatile plantarum non tam ab acrimonia hodie, cum acido communi, quam oculari probetur ἐγχειρήσει non vna, latius alibi a nobis demonſtrata;

tale vero nondum ab aro produci potuerit, minus eidem, ſaltim eminens & prædominans, adſcribi poſſe videtur.

Non eſt (2.) in aro ſal volatile oleoſum, vel quaſi, ex ſolenni loquendi modo; quale tum in aliis pluribus vegetabilibus extat, tum in antiſcorbuticis, cochlearia, naſturtio, lepidio, ſui generis. Et ex his hodie via ſicca, & humida, vel media, ſal volatile, ſaltim liquidum, obtineri poteſt, ex aro vero non item. Neque tamen abſolute negamus in eodem ſal volatile ex hac ratione, quod elici actu inde nequeat; ſed quia contrarium potius exhibet in ἀναλύσει hacce.

Liceat enim nobis & hoc loco ſtatuere, omnia vegetabilia gaudere duobus ſalibus eſſentialibus illis, acido & alcali, omnis mutationis ſulphuris promis condis. Addere & hoc liceat, quando coquuntur cochlearia, lepidium, naſturtium, immutari illorum acrimoniam, vt vel olerum in modum dulceſcant, & in cibum elixa cum carnibus, vel per ſe, veniant, vel lenem amaritudinem tunc præ ſe ferant. In aro nec coctione acrimonia illa ceſſat æque.

Non ineſt eidem (3.) ſal acidum fixum exuperans, vt in acetoſa, acetoſella, tartaro, & aliis; nullus enim ſapor acidus, ſed acris potius offertur & eminet. Acria vero, generali axiomate, ſalino principio eminenti debita, ſeu ſibi relicta, ſeu cum ſulphure inprimis modificata, ſtimulant, fibrillas nerueas & lympham, abſtergunt, reſoluunt, abſumunt, erodunt, quæ omnia ſuo modo etiam aro competunt.

Enimuero ſi vlterius in acre hoc medicum inquiramus, eiusq; cauſam, eſt in aro acidum concretum, cum partibus terreo-ſulphureis puta, libratum ſale alcali reſpectiue pauciori, per mechanicam ocularem, & oleo, ſeu ſulphure. Eſt idem, reſpectu venenoſorum corroſiuorum acrium, temperatum magis, quamuis ſatis actiuum, extrauerſum, & ſpiculatum, haſtulis ſuis ſalinis ſolubilibus guſtatum præcipue, hinc & tactum afficiens, vt inſtar vrticæ pungere,

re, vrere, & fortiori experimento, iuxta nonnullos, & in delicatioribus, (nam alias id non fit,) etiam veſicas in lingua excitare folia, & ipſamet radix, viſa ſint.

Idem fluorem indeptum, id eſt a concretionis vinculis liberatum, actu acidum, non alcalicum ſe exhibet in ſpiritu; liberatum a terreis, ab alcalicis licet paucioribus particulis, & liquidum ſic redditum, euaporatum deſtillatione mediante, ſoluta ſic textura compagis, & per *διάκρισιν* chimicam *σύγκρισιν* noua eueniente.

Accedit ſulphur fixius, reſpectiue ſegnius, terreo-aqueum, mucilaginoſum, in aro minus obtundens ſpicula ſalina, & lubricans tamen ſimul. Hoc in oleum faceſſit ſub hac operatione maximam partem, ſed ob partes terreas mucilaginoſas, ſub ipſo ſpiritu hoc occultatum, accedentibus aliis expandi etiam poteſt, & tincturam egregiam diffundere; quæ omnia oculari mechanica demonſtratione reddi poſſunt euidentia, & nobis examinata ac viſa vbertim conſtant.

Partes autem volatiles fixatæ magis ſilent omnino in aro, forſan alia mechanica, putrefactionis & reſiſtentium acido additamentorum, euoluendæ ac demonſtrandæ. Interim vires ſeminales ac dotales, ex ſimpliciori licet examine emergentium hac particularum miſcela fluunt, concipi ac illuſtrari poſſunt. Ipſam vero penitus apertam formam ſubſtantialem in materia hac aduertere quidem, & per experimenta a priori ac poſteriori cognoſcere datur; aſt nemo homo imitari poteſt diuinam manum, & perfecte ac examusſim pleniſſime comprehendere & in numerato habere. Satis eſt & inde mirari illam, quomodo demonſtret quælibet herba Deum Optimum Maximum, non ſolum externa illa facie, charactere, nitore; ſed & virtutibus, & textura maxime principiorum materiæ, ſalis, ſulphuris, mercurii, & formæ, ſeminis, fermenti ſpecifici.

Vtque hæc concludamus, omnia vegetabilia alia fundunt ſal volatile, igni ſubiecta, alia acidum; Arum non

prius

prius id præſtat, ſed poſterius, adeoque ad horum claſſem omnino referendum.

Quare, vt plantarum craſes, ex qualitatibus ſecundis & tertiis, ſaporibus & odoribus, hinc & modis miſcelæ particularum præcipue deprehenduntur, ita idem valet quoque de aro.

Aſſignatur hoc calidum & ſiccum ab aliis veteribus, vt *Galeno*, *Oribaſio*, *Paulo l. 7.* primi ordinis ſolum, ex terrea ſubſtantia & calida ac exterſoria conflatum. Alii ſecundum, alii tertium gradum nominant, imo alii non parum abeſſe a quarto gradu, qui cauſticorum eſt, volunt. Si fatemur quod res eſt, puluis radicis ſiccæ ari farinaceus temperatior eſt, neque ſecundum gradum excedit. Imo calidum ſalinum eſt potius, quam ſulphureum, adeoque ab effectu temperatius dicendum.

Reſpectu inter ſe habito, arum maximum temperatius ſtatuendum fuerit, & velut primo gradu calidum, ſecundo minus noſtrum, tertio medium, ſeu dracontium, fortius aro & calidius. Addi, præter alia, poteſt, variare hoc pro diuerſa præparatione, ſiſtere enim poſſumus plane ἄποιον, dulce, inſipidum, temperatiſſimum, leui eaque domeſtica præparatione.

CAPVT II.

De Præparationibus Ari & vtendi modo.

CVm non tam crudo modo in vſum cedant vt alia, ita & ari cumprimis radices, quam aptatæ prius & hoc fine aſſeruatæ, naturali velut ordine ad has PRÆPARATIONES luſtrandas prouehimur. Sunt vero illæ quoque vel groſſiores, vel ſubtiliores magis: vel abſolutæ, citra miſcelam aliorum, vel comparatæ, in compoſitionibus ipſis non vnis, quæ & vtendi modum inſinuant ſimul.

Mun-

Mundandæ ſunt primo radices ari, folia enim & reliquæ partes eiusdem, vt id repetamus, non ſunt officinalia, vel recepti vſus. Mundandæ a ſordibus terreis, a fibris radicalibus, ſiquæ adſunt, a cortice extimo, vt magis candidæ ſint, ipſo, pro re nata, vt ſola pars carnoſior ſuperſit. Facit huc ipſa lotio cum aqua, ſi ea opus videatur, & conſequens hinc exiccatio.

Hæc enim niſi probe obſeruetur, facile & colorem mutant, & vires, ſitum contrahunt & putrilaginem, (niſi hanc ſtudio intendamus, ad alium præparationis ſcopum,) corrumpuntur vno verbo. Perinde vero eſt, an diſtinctim ſeu ſeparatim filo transfixæ, in aere libero ſuſpenſæ, radices exiccentur, an aliis modis, nec ipſo calore ſolis excluſo, ad perfectam vsq; conſiſtentiam. Eget hoc præ aliis ari radix, quod & mollior ſit & ſucculenta magis, vt denſetur ſuccus nutritius, & pulueriſari hinc penitius, & accurate per cribrum tenuius tranſadigi, lege artis, poſſit, habenda ſic farina elegantiſſima, ſeu puluere albo delicatiori, qui a ſimpliciſſima hac præparatione, eaque longe optima, reſultat, & ſeruari in vitro ad vſum neceſſarium poteſt.

In officinis vero quampluribus, vt Witebergenſi, Lipſienſi, Auguſtana, aſſeruatur vel recenſetur radix ari præparata cum vino, quem modum *Quercetanus* deſcribit, *l. c. p. 448.* ℞. lota prius & mundata, hinc in orbiculos diſſecta infundatur cum vino albo, ad digitorum duorum tranſuerſorum eminentiam, maceretur per 24. horas. Hinc decantetur vinum, & nouum denuo infundatur per 12. horas, quo facto reſiccetur ad ignem lentum in furno panificum, ac pulueriſetur. Alii ter macerationem hanc repetunt. Intentio nempe eſt, vt nimia acrimonia & vis pungens ſalis aronici mitigetur.

Sed cum in hoc virtus herbæ ſpecifica fundetur, cum vis vrens hæc in exiccatis radicibus amplius non inſit, vel mitior ſaltim, acquieſcunt in ſola exiccatione *Zwelfferus*, aliique; aut ſi vinum affundatur, ſemel tantum id faciunt,

& cum iis per euaporationem exiccant. Vt verum fateamur, vſi ſumus ſimplici hac farina tutiſſime, neque vnquam noxam ab acrimonia illa ſenſimus. Liberum interim eſt, pro ſubiectorum diuerſo modulo, etiam hanc innoxiam præparationem retinere, quamuis vterque ille modus habeat ſuas difficultates, & ſimpliſſimus ſit optimus.

Loco vini acetum ſubſtituit *Helmontius*, minus alias acido fauens, quando *in Pharmacopol. ac Diſpenſ. modern.* §. 46. Aaron, *inquit*, aceto bullitum miteſcit, magnorumque caſuum medela fit. Iamdudum id notatum eſt a *Theophraſto l. 7. Hiſt. Pl. c. 11. p. 147.* radicem ari eſculentam eſſe, & ipſam, & folia eiusdem decocta in aceto. Sed ſine dubio ratio ponenda, inde ſal acre eiusdem miteſcere, quod difficile probatu fuerit, ſi volatile inde figi ſtatueris; admitti tamen poteſt, ob immutatam texturam particularum, quibus id immerſum eſt. Sufficit, non opus eſſe hoc pacto occupari in correctione ari, quod enim facit, longe melius, vel ſaltim eodem modo, præſtiterit ſibi relictum.

Quod ſi vero, ad edulcationis leges, velimus acrimoniæ huic ſalinæ obtundendæ vacare, corrigens genuinum fuerit ſpiritus vini, ſimplex, vel cochleariæ; per experimenta enim notum eſt, huius acceſſione conticeſcere vim corroſiuam ſpirituum acidorum, & vrinoſorum fortiorum, exemplo ſpiritus nitri dulcis, ſalis ammoniaci dulcis, ac aliorum. Aſt nec hoc pariter opus eſt, cum in genere fruſtraneum ſit ſubtiliori modo vti, vbi groſſior & ſimplicior ſuffecerit, & vt alia ſunt ſtatim ſua, ita & arum huc referri merito poſſit.

Curioſa eſt præparatio ari alia, via humida inſtituta, quæ FECULA hodie audit, in officinis etiam gerſa, vt aliis cherſa, imo & ierſa nonnullis. Et feculæ quidem nomen, a ſubſidentia tritus, coloris & conſiſtentiæ ſatis notum eſt; ſed de gerſæ non minus, quam ſerpentariæ nomine dubia quædam ſe offerunt.

Enimuero ſunt, qui ex orientalibus fontibus, Arabi-

co vel Hebraico idiomate, gerſæ huius nomenclaturam arceſſunt, quo de inſtar omnium legi meretur *B. Rolfincius* noſter, *Chim. in A. F. R. l. 5. ſ. 3. c. 3. p. 355.* Res eo redit, gerſam hoc pacto notare puluerem ex contuſione vel comminutione conſurgentem, id enim denotat thema Arabicum جَرَشَى, & radix Hebraica גָּרַס, *contudit.* In contrarium vero, non huic analogiæ deberi, afferri poteſt, quod vox hæc, quantum nobis conſtat, neque hac ſignificatione, neque alia apud medicos Arabes occurrit. Adde, quod gerſa non ſimplicem puluerem, multo minus groſſiorem denotet, ſed ſubtiliorem potius, eumque non contuſione ſimplici, ſeu via ſicca paratum, ſed via potius humida.

Cumque ſolenni & primo quaſi loco occurrat gerſæ huius mentio in *Antidotario Nicolai*, & ſeorſim in deſcriptione vnguenti citrii, vel citrini, videtur hinc repetenda prima huius vocis origo. Cum enim in eo gemina fiat mentio ceruſſæ, e ſerpentaria, & communis, ſeu ex plumbo, quorum illam calidam & ſiccam, hanc frigidam & ſiccam vocant interpretes, videtur loco prioris irrepſiſſe, culpa interpretis, qui rem ipſam ignorauit, vox detorta in gerſam. Conſentit *Leonh. Fuchſius*, qui hinc vertit ceruſſam, cum alii codices Latini, & hinc diſpenſatoria, meminerint gerſæ vel ierſæ ſerpentariæ, & videri ait vtramque dictionem e voce ceruſſa nonnihil deprauata eſſe deflexam. Confirmat idem certiſſime, quod ψιμμίθιον in Græco textu legi ſcribat idem, quod ceruſſam ſignificat. Et hinc idem abunde plures vno velut ore aſſerunt, gerſam eſſe ceruſſam, vt *Iohnſon in Lexico chimico*, *Cæſalpinus*, *Syluaticus in pandectis medicis*, qui & radicem ipſam, ſerpentariam, ita vocari ſcribit. Imo & inde verbum gerſo, gerſare, ingerſare, infuſcare vel fucare potius faciem, natum eſt, quo de vid. *Du Frene Gloſſar. Tom. II. p. 615.* qui & *Ioh. de Garlandia* in ſynonymis chimicis citat: Gerſa, id eſt, ceruſſa.

Neque abnuit ſeculorum mediæ ætatis genius, ſiquidem

dem plura alia quoque nomina per inuerſionem eiusmodi, vel genium ſeculi detorta ceſſere in vſum, vt iuæ arthriticæ, alleluiæ, olibani, & plurium ſimilium exemplo notum eſt.

Viſamus vero & ſerpentariæ notionem, prius, quam de præparatione ipſa disquiramus. Et in hoc ſane dubium mouet dracontii nomen. Sunt, qui biſtortam innui rentur, vt Lipſienſes, Auguſtani, Noribergenſes, Witebergenſes, noſtrates ipſi, vt *B. Rolfincius* l. c. teſtatur. Aſt ſi rem rei comparemus, ſi nomina ipſa ſequamur probatiora, potior militat pro ſerpentaria ſtrictius ſumpta, vel ipſo potius aro noſtro, ratio, præſumptio & vſus, in quo *Caſp. Hoffmannum*, *Libauium*, *Cæſalpinum*, *Fuchſium*, imo *Nicolaum* ipſum & commentatores eiusdem ſequimur. Dignus inter hos præcipue eſt *Fuchſius*, qui legatur *l. 1. de compoſ. med. p. m. 26. ſ.*

Cum enim intentio ſit abſtergendi, σμηκτική, nemo non nouit, arum in hoc excellere, biſtortam ſtare poſt principia, imo contrarium potius facere, aſtringere & corrugare. Hinc nullum eſt dubium, intelligi a *Nicolao* ceruſſam, quæ ſit ex dracontio, vt *Fuchſius* ex Græco exemplari notat, ſiue ſerpentaria vera, aut, in eius penuria, aro, imo ex ipſiſſimo hoc.

Quod parandi modum attinet, contenti erant maiores noſtri ſola nutritione, ſeu imbibitione cum aqua roſarum, affundendo farinæ radicis ari aquam roſarum, & euaporando leni calore ſolis, vel ignis, idque bis vel ter repetendo. Poſt vero, quam chimicæ operationes magis adoleuere, feculæ ſucceſſit nomen, & ἐγχείρησις, quam deſcribit *Angel. Sala ſ. 2. c. 16. Eſſ. Vegetab.* & confirmat *Ludouici:* Mundatæ radices recentes probe contunduntur, inſtar tenuiſſimæ pultis; hinc cum ſ. q. aquæ ſimplicis exprimuntur, (qui teneras habet manus, caueat, vrit enim inſtar vrticarum;) quamobrem conſultius eſt ſacculo concluſam prelo ſubiicere. Prima vice omne fere prodit: ſecunda parum. Ex libris quatuor radicum recentium & mundatarum habentur ℥xii, vel xiii, feculæ, probe l. a. exiccandæ.

Pro

Pro feculæ huius vſu militant non vnæ rationes, quandoquidem ſuccus viroſus ſic ſeparatur, manifeſta διακρίσεως & puluillus via hac humida obtinetur tenerior, confractis intime & ſeparatis ab humido particulis; & ſic neſſaria videtur, quibus acrimonia minor expetitur, pro delicatioribus ſubiectis. Sufficit ſaltim, non eſſe feculam hanc inefficacem, contra eos, qui id negant. Cœteroqui exigua fuerit differentia, vtrum ſolo farinaceo & eleganti puluere radicis in genere contenti eſſe velimus, vti ſane indemnis eſt, & doſi non excedente acrimonia pungitiua neutiquam lædit; ſiue hoc loco in vnguento citrino feculam eligamus, aut radicem cum aqua roſarum præparatam.

Conſultum itaque fuerit, hunc morem recipere in officinas, vt pro gerſa ſerpentariæ non fecula biſtortæ radicis recipiatur, conformi deſcriptioni & vſui ratione; quamuis & hæc, ſed pro aliis vſibus, retineri queat pro lubitu, ſed non magis adſtringendi fine, ita enim auſteritas ſtyptica elutriatur magis.

Vt vero non repetamus, quæ per ignem ex aro elici poſſint, ſuperius iam tacta, neque enim ſunt æque vſualia, ſolus SPIRITVS ARI ACIDULUS ſuffecerit, non immerito in vſum recipiendus, ob vires antiſcorbuticas, diaphoreticas, diureticas, ſtomachicas, commendabilis. Remiſceri hinc poteſt commode tincturis martialibus, & mixturis, quas & ſuo loco apprime conſtituit, receptas acceſſione ſua augens, & nouas exhibens.

Inſtar omnium ſit TINCTVRA MARTIS ARONISATA longe delicatiſſima, & quod magis eſt, extemporanea, ex ſpiritu cochleariæ, aronis, & liquore martiali ſola miſcela conſurgens. Ita enim tantum abeſt, vt vlla fiat præcipitatio, vt potius ſub vehiculo ſpiritus cochleariæ, ſulphur in ſpiritu ari latens fixius, & liquor vitriolicus remixtus inuicem ſe amice amplexentur, expandant, exaltentque, curioſiſſimo ſpectaculo & effectu. Idem etiam

conſulto recipitur non minus in MIXTVRAM ANTISCORBVTICAM elegantiſſimam, (ſi ſpiritus cochleariæ, ari, & ſalis rectificatus cum liquore martiali & eſſentia anodyna miſceatur,) & per ſe commendabilem ſatis colore ac viribus, & miſcela aliorum, tincturæ martis, eſſentiæ lignorum, & ſimilium, pro lubitu.

Quin ipſa ſimpliciora ſelecta *εὐπόριστα* ſtatim ſua præſtant ſæpe magis curioſis præparationibus, quam vtilibus. Commodat hinc ari radix non paucis compoſitionibus, tum officinalibus, tum extemporaneis. Quis neſcit *trageam ſeu puluerem ſtomachalem Birckmanni?* quem puluerem radicum ari compoſitum, & diaronis in genere, quod arum baſis ſit, ſeu *Quercetani*, alii nominant, qui eundem, ſub titulo pulueris ad omnes ventriculi affectus mirabilis, *l. c. p. m. 446.* deſcribit:

℞ rad. aron, præpar. ℥ij. acori vulg. pimpin. a. ℥j. ocul. ♋. ℥ß. cinam. ʒiij. ſal. abſinth. iunip. a. ʒj. ſacchar. roſat. q. ſ. M. F. puluis. Recenſitis vbertim viribus fatetur, communicatum hunc ſibi fuiſſe a D. *Birckmanno*, quem ſingulis annis plus quam ſexaginta aut octuaginta libras huius pulueris paraſſe ſcribit.

Et vel hoc nomine immortale ſibi peperit nomen *Birckmannus*, ſummo encomio ibidem celebratus, licet nullis aliis ingenii monumentis ſuperſtitibus relictis: imo nec de vita, quantum nouimus in hunc diem, plura adnotata legas. Non alius ſine dubio fuit, quam cuius alibi honorificam mentionem ſe feciſſe memorat, puta *l. i. Hermet. Medic. defenſio inſcripto c. 1. p. 7.* Nicolaus Birckmannus (Brichmannus ſcribitur corrupte in noſtro exemplari, more aliorum plurium,) olim apud Colonienſes Doctor medicus celeberrimus, quo hoſpite & hoſpitio ad decem menſes apud ipſum vſus eſt, & cum quo mutuas manus in opus & vigilias tam præclaræ artis contulit. Et huius forte cognatus fuit Hermannus Brichmannus, Coloniæ itidem Doctor medicus ibidem *p. 9.* recenſitus.

Cæte-

Cœterum ſacchari additione non opus eſt, vnde nec ab aliis admittitur, qui hinc inde eundem deſcribunt. Præſtat ſane citra illud aſſeruatus puluis, facile exigente vſu acceſſione hac gratior reddendus, vti etiam noſtro more ſolenniter additur cardamomum, anatica cum cinamomo portione, & pro re nata oleum citri verum, macis, malabathri, aliaue.

Alterum exemplum præbeant *pulueres cachectici*, ſeu Quercetani, ſeu Hartmanni, ſeu Rolfincii, ſeu noſter inprimis cinnabarinus, polychreſtus, ſi quis alius. Et huic enim arum fœnerat pondus vnice, pluribus indicationibus ſatisfaciens, æquali vel maiori etiam præ marte virtute hanc gloriam ſibi vendicans; vnde miris modis & proficuus eſt, & varians.

Quod ſi hinc chartam onerare vellemus infinita ſe ſuggererent exempla, formularum & medicamentorum, quæ arum recipiunt. Inſtar omnium ſint laudata, & pauca quædam alia. Sic ſpectat huc ſimpliciori modo cum ſaccharo canto vel alio mixta radix, *acidum tartari aronium* venerandi noſtri præceptoris, *Rolfincii*, deſcriptum in *Chimia*. Duo ſaltim adhuc laudabimus e noſtris, *puluerem digeſtiuum*, ex rad. ari & cr. ♀ri ana, & *pectoralem*, remixta eadem cum radice iridis Florentinæ, flor. ſulphuris, ♁io diaphor. ocul. ♋. conch. ppt. & cinnabari natiua. Simpliciora enim hæc qui nouerit, facile pro lubitu componere poterit plura.

Elegans quoque eſt præparatio Ludouiciana, & aliorum, ſi ſpiritu ⊖li volatiliori tinctura ſanguinis draconis, vel ſandali rubri extracta ſaturata, puluis rad. ari imbuatur, ad modulum hepatici rubri dicti, vnde fit incarnatus acidiuſculus. Imo & commode cum ipſo hepatico rubro combinatur.

Remiſceri poteſt arum medicamentis varii generis, in ſolida, liquida & media forma, in aquas ipſas, eſſentias, mixturas, linctus, electuaria & alia. Exempli aquarum loco ſit AQVA ARI COMPOSITA, ſtomachica & carmi-

nati-

natiua gemina, 1. Dreſdenſis: ℞. radic. aron. calami arom. a. ℔j, c. p. zedoar. ℥iij. ſem. aniſi ℔iß. c. p. M. & inciſa groſſo modo infunde 🜅 i rectif. m. x. vel q. ſ. F. l. a. deſtillatio. Poſtea edulc. ſacchar. clarif. & aq. fontan. q. ſ.

2. Lipſienſis: ℞. rad. ari recent. ℔ij. calam. arom. acori, bacc. laur, a. ℔ß. herb. menth. abſinth. fl. chamom. Rom. a. m. iv. ſem. cumin. ʒiij. cinam. ℥ß. piper. nigr. zinziber. a. ℥iß. vini opt. ℔vj. 🜅 rectif. ℔iij. Deſtill. ſ. a.

Facile vero hinc liquet, & ſeorſim ſpiritum vini a radice ari, imo & tota herba vtiliter abſtrahi in SPIRITUM ARI VINOSUM; & SPIRITUM ANTISCORBUTICUM compoſitum eiusdem additione roborari.

Liceat huc referre *Tincturam antiſcorbuticam D. Mœbii*: ℞. rad. helen. ℥iß. aron. rec. raphan. marin. a. ʒvj. fol. cochlear. rec. mvj. calamenth. mont. baſilic. a. mj. fl. ſamb. miv. cordial. a. mß. cort. aurant. citr. a. ℥ß. conciſ. contuſ. affund. vin. Hiſp. canth. iv. 🜄 fl. ſambuc. cochlear. a. ℔ß. Olei ♀ iſ. ℥ß. M. ſtent. in infuſo calide, vaſe optime clauſo, & quotidie mouendo, per hebdomadem vnam vel alteram. Poſtea exprimantur fortiter, abiectisque fecibus affund. expreſſo liquori ſucc. cochlear. & becabung. per nudam reſidentiam depurat. a. ℔ß. ſtent. in digeſt. iuncturis optime clauſis per dies aliquot, hinc traiiciantur per chartam emporeticam.

Recipit & feculam ari in Elixir ſpleneticum, vt & Eſſentiam contra arthritidem vagam ſcorbuticam *Timæus in caſibus ſuis*; ſed conſultius ipſa radix h. l. præ fecula eligitur & recipitur, ne actum agamus.

Sic & compoſitiones pro externo vſu ingreditur radix ari non vnas. Inſtar omnium eſt *vnguentum citrium*, ſeu citrinum, aliis etiam baſilicum, quod recipit pro baſi gerſam ſeu ceruſſam ſerpentariæ, ad delendas maculas, lentigines, varos, aſperitatem, & vſum hinc coſmeticum, imo ad tineam ipſam non incongruum.

Non minus recipit eandem *vnguentum Artgon*, vulgo dictum,

ctum, non infimi ſubſellii, vt optime Auguſtani notant, in ipſa lue venerea. Accedente enim frictione, & medicamentis eiusmodi ſpiculatis, humores viſcidi, lenti, pituitoſi, etiam circa extimam ſuperficiem reſtagnantes in motum citantur, & conſequenter cruſtæ, tubercula, verrucoſa illa & variolacea, venerea inquam, & tumores glandoſi, ſuſtolluntur non infeliciter. Adeoque ipſi ſaliuationi ſubſtitui non raro poteſt hic modus, minori virulentiæ gradu, & quando illa minus vti licet.

Tacemus, etiam in *vnguento Agrippæ* dicto, loco tribulorum aquaticorum, ſubſtitui in quibusdam pharmacopœis, non ſine ratione, radicem ari. Edules enim illi, & dulces, minus profuerint, vbi intentio eſt diſiiciendi coagula, & tumores frigidos; potior eſt omnino ac melior ari acceſſio.

Agmen claudat *puluis ad cancrum vlceratum*, magni nominis, deſcriptus a *Sennerto in praxi*, quamuis titulo ſerpentariæ radicis, & arſenici correcti additione commendatus, quo de inferius agemus quoque.

Capvt III.

De Viribus Ari & vſu.

Cum merito æſtiment medici omnia examinata ſimplicia aliaque ab vtili, idem abunde ex aro in corpus humanum reſultat, indeque repeti largo fœnore poteſt; quare & de viribus ac vſu eiusdem potiſſimum agendum. Non meliorem vero ordinem tenere licuerit, quam ſi vſum vtilem, eumque alimentarium, ac medicamentoſum, & noxium, quorſum alias venena maxime ſpectant, diſpiciamus.

Enimuero, ſi conſulamus autores veteres & recentiores, vel potius rem ipſam, arum & loco generis conſideratum, & ſpeciei, aliud eſt *ἐδώδιμον*, *edule*, aliud *ἄβρωτον*, *καὶ*

φαρμακῶδες, eſui ineptum, & medicamentoſum. Locus clariſſimus eſt *Theophraſti l. 7. Hiſt. Pl. c. 11.* ἐδώδιμος ἡ καὶ ἡ τοῦ ἄρου, καὶ αὐτὴ καὶ τὰ φύλλα προσαφεψηθέντα ἐν ὄξει. *Ari quoque radix cibo idonea eſt, & ipſa, & folia eiusdem decocta in aceto.* Confirmat idem *Dioſcorides*, qui & dracontio ſuo, ſecus ac *Theophraſtus l. c.* & aro id tribuit.

De aro Ægyptio, ſeu colocaſia vulgari, fol. lapathi *Plinii*, id clarum eſt, vel vnius *Galeni* elogio. Arum Cyrenaicum, *inquit*, minime medicamentoſum & acre, vt rapis etiam ſit vtilius; addit radicem etiam in Italiam aduehi, vt quæ longiori tempore imputris & ſine germine poſſit perdurare, *l. 2. de alim. facult. c. 63.* De illo itaque intelligendus fuerit potiſſimum & *Theophraſtus* & *Galenus*; vti etiam alias ex coniunctis circumſtantiis iudicandum eſt de ſpecie, vt confuſio omnis deuitetur. Hinc addit hic ipſe, in quibusdam autem regionibus acrius quodammodo prouenire, vt prope ad dracontii radicem accedat; Aſiaticum vero magna ex parte acrius, facultatemque habere iam medicamentoſam.

Ratum hinc eſt, Colocaſiam hanc, ob languidiorem acrimoniam, hodienum ab Alexandrinis, ſeu Ægyptiis in genere, in cibum expeti, ac celebrari, quo de plura legi poſſunt apud *Proſperum Alpinum*, *Rhauwolffium in itinerario*, & *Fabium Columnam p. II. minus cognit. ſtirp. & rar. c. 1. p. 1.* aliosque. An vero idem de aro in ſpecie conſiderato valeat, diſquiri meretur. De dulci, (liceat ita vocare, vt abſinthium quoque dicitur, non amarum quod eſt,) nullum videtur dubium, in eſum illud venire poſſe; alterum autem minus menſis quadrat ordinarie.

Neque tamen & ipſum edule eſſe negatur a quibusdam autoribus. Vtque Dioſcoridem non repetamus, coctione dulceſcere omnia, generale aſſertum eſt *Quercetani Pharmacop. Dogm. p. 39.* ſpeciatim & montanum illud arum acrimoniam ſuam coctione deponere vniuerſam, contendit *Veslingius obſ. in Proſp. Alpin. de Plant. Ægypt. ad c. 33. p38.*

Te-

Te ſtatur & *Manardus comm. in Meſ. f. 7.* ſe vidiſſe homines foliis libenter veſci & absque noxa. Cocta in aqua recens radix & lege artis culinariæ apparata minus quidem acris guſtatui ſe obtulit, vt comedi potuerit, citra tamen gratiam optatam, quin retinuerit adhuc licet minores ſtimulos, & in ore exeruerit quodammodo, vnde id repetendum eſt.

In mentem hic venit locus vexatus *Iulii Cæſaris l. 3. de Bello Ciuili c. 10.* vbi ita ſcribit: Eſt etiam genus radicis inuentum ab iis, qui fuerant cum Valerio, quod appellatur Chara: quod admixtum lacte multum inopiam leuat; id ſimilitudinem panis efficiebat, eius erat magna copia. Ex hoc effectos panes, cum in colloquiis Pompeiani famem noſtris obiectarent, vulgo in eos iaciebant, vt ſpem eorum minuerent.

Illam vero non cari vel carui radicem fuiſſe, dudum euicit *Franc. Hotomanus not. in h. l.* Vt enim de nomine non dicamus, quod æque aro ac caro applicari poteſt, radix carui nec panibus, nec eſui quadrat, longe rectius vero arum, ſeu colorem ſpectes, album ſiue candicantem egregium, ſeu farinaceam radicem, ſeu edulem alioqui herbam, ſaltim quod ad arum illud maximum, ſeu colocaſiam laudatam attinet. Neque de nihilo eſt a lactis acceſſione correctio, quod acrimoniam ſalium & ſpiculorum, tam volatilium alcalicorum, quam aliorum demulcet, corrigit & oleoſis pinguibus ſuis particulis obtundit.

Fuerit itaque potius radix ari, ſiue laudati illius maximi, ſeu neceſſitate cogente ipſius ari communis. Chara enim nomen non Latinum æque, ſeu Romanis vſitatum, ſed gentilitium, incolis Dyrrhachinis vſitatum. Notum vero eſt, vel huius ipſius nominis ari exemplo, vt hodie gialapæ, quam varie a diuerſis gentibus hoc illud exprimatur. Et fames illo caſu docuit *Lucani* verbis *l. 6*:

vellere ab ignotis dubias radicibus herbas,
qua mollire queant flamma, qua frangere morſu,
quæque per abraſas vtero demittere fauces.

Quæ vltima verba acrimoniam manifeſtam denotant & pro aro quoq; laudari poſſent. Cœterum & ipſam huius radicem, quæ aliis omnibus contra farinam panificum æmulatur, etiam alio caſu in panem eſſe pertractam, teſtis eſt *Anguillam Parere Settimo ſopra 1. ſemplici p. 128.* vbi ſcribit: Della ſua radice gia cinque anni ſe ne faceua pane in Schiauonia, & in quelle parti verſo l' Albania, & ancora ſi mangia cotta leſſa à modo di rape: ma in Italia non ſo, che ſi mangi. De hoc vero alibi agemus, vbi de pane Dyrrhachino Iulii Cæſaris breuia quædam commentabimur, vt & ſeorſim forte de Bulbo Veterum.

Sed miſſa virtute alimentari, quam apud nos ordinarie non exerit, ad medicam recenſendam pergimus, quæ ſumma eſt, & plurimas alias ſimplicium quorumuis multis poſt ſe relinquit paraſangis. Enimuero arum emollit, lubricat, aperit, incidit, attenuat, reſoluit, abſtergit, penetrat, ſummum remedium ad viſcedinem, craſſitiem & quietem humorum, pituitæ, bilis, tartarique ipſius tollendam, corrigendam, ſubigendam; remedium obſtructionum ſummum, & tantum non earundem velut panacea; ex quo plures aliæ promptiſſime fluunt dotes, quas in ſingulis ventribus exerit.

Et hæ ſecundæ qualitates ipſis primis ſunt potiores, imo, ſi verum fateamur, primarum loco merito celebrandæ, quas ipſas quoque non ſicco pede præteribimus. Enimuero arum *calefacit* & *ſiccat*, ſed temperatius tamen, cum non ſit balſamicum volatile eius ſulphur ac oleum, vnde non tam rarefacit, & expandit directe, vel exaltat particulas ſanguinis rotundas, balſamicas, quam roborat & tutatur, putrilagini inſimul reſiſtit inſigniter, & ſic per ſe, & cum aliis, principiis vitalibus non vno nomine fauet.

Seorſim prodeſt efficaciter affectibus ventriculi, pararium fermenti ſummum, antidotus cruditatis acidæ, pituitoſæ & nidoroſæ, ſeuślioſæ, excitat appetitum, roborat primam culinam, extergit mucum, eliquat glandulas torpidas,

pidas, fauet chylificationi, μόλυνσιν arcet, & primas vias apprime ſic reſpicit, flatibus etiam corrigendis & diſpellendis debitum.

Confert affectibus hepatis, lienis, inteſtinorum, hypochondriorum. Eſt hepaticum, ſpleneticum, antiſcorbuticum. Succurrit cachexiæ, ictero, hydropi, febribus quotidianis & quartanis, puta quoad mineram & focum, vnde velut ex equo Troiano heroes, ita in corpore ex hoc fonte complures morbi conſurgere toto die aſſolent. Vnde breuibus, quot verba, tot pondera, tot experimenta, citra vllam vanam iactantiam, reuera exprimimus, neque ſatis laudari hoc nomine diuinum medicamentum poteſt.

Prodeſt in ſcorbuto frigido & calido, omnibus aliis contra, quod mirum videri non debet, cum cauſæ genuinæ, putrilagini lymphæ, obſtructionibus, & aliis contra eat, viſcerumque tonum reſpiciat, ne alia laudemus.

Imo & *purgans* virtus aſſignatur eidem a *Meſue*. Vtut vero de eo non vnanimiter concordent commentatores varii, & *Manardus* ſcribat, Galenum & Paulum expurgari ab eo, id eſt, detergi viſcera aſſerere, non vero loqui videri de purgatione proprie dicta, & Plinium, folia ex ſale & aceto aluum inanire ſcribentem, laxius & latius intelligendum; ſatis tamen fuerit, & detergendo, incidendo, leniter ſtimulando huic ſcopo inſeruire, more aliorum ſimilium. Nec deſunt, *Coſtæus* ait, *l. c. in Meſuen*, qui aluum huius radicis vſu expurgari obſeruarunt, quod etiam eiusdem acrimonia poteſt perſuadere, a tartareis medicamentis non abludens; ne repetamus ab vrſis oſtenſum hunc vſum iamdudum notum.

Tanto magis ergo & hoc caſu celebranda venit, quod viſcedinem & lentorem pituitoſum, alui ſegnitiem cauſantem, corrigat, quod leniter ſtimulet & officii ſui moneat fibras motrices, citra ſenſum vllum moleſtum, qualem purgantia etiam minus acria ſolent haud raro exprimere, & tormina citare. Benedictum eſt & hoc ſenſu medicamentum,

aloeticis tartareis pilulis facile & merito remiſcendum, vnde & clyſter naturalis, bilis naturalis excrementitia, ſuum vigorem debitum ſortitur.

Confert & laudata virtute ſua & hæmorrhoidibus, & menſibus obſtructis, indeque oriundis ſymptomatibus, chloroſi, ſeu cachexiæ virgineæ, inappetentiæ & aliis coniunctis. Cumque ius duumuiratus, liceat ita loqui, nullibi magis fere emicet, quam in hyſtericis, vtero cum hypochondris reliquis mirum quantum ſymbolifante, communi & priuato nomine præſto eſt arum; ne de aliis particularibus, hydrope vteri, vlceribus, & aliis dicamus. In *calculo*, *Galeni* ipſius elogio, virtutem obtinet egregiam, pituitæ & tartareæ ſaburræ disiiciendæ aptiſſimum. Quam in rem ſi autores laudare velimus alios, plures citare foret integrum, quid vero aliud hoc fuerit, quam ſoli facem accendere, cum ratio, cum experientia ſatis ſuperque id confirmet. Videatur tamen & *Magnolus Ind. Plantar. Monſpel. p. 29.*

Idem de vrinæ obſtructionibus dixerimus, cum cruditatibus contra eat, cum vias reſeret, chylum defæcet, μόλυνσιν abarceat, lympham reddat fluxilem, quis dubitauerit, etiam ad vias vrinarias redundare eiusdem effectum? Tangit haſce vires & ipſe *Dioſcorides*, quando ſub aro quidem non omnes memorat, easdem vero, quas dracontio adſcripſerat, habere ſcribit, adeoque etiam eſt radix ἐρητική, merito inter diuretica referenda. Memorat hæc & *Meſue*, vt plura alia, mundificare & confortare renes ſcribens, ac vrinam prouocare.

Non minus eſt *aphrodiſiaca*, ſeu πρὸς συνουσίαν ἐγείρει, *venerem excitat*, cum vino potata, non ſolum ob ſignaturam, cum ſatyrio communem, ſed & quod, præter primæ culinæ reparationem, habeat in ſe & γλισχρὸν, & ſtimulum addere queat.

Seorſim commendatur & ad *hernias*, tam ab antiquis illis Doctoribus, quam recentioribus. Inſtar omnium eſt

locus

locus apud *Laurembergium Appar. Plant. 1. l. 2. c. 6. p. 141.* Experimento haut fallaci conſtat, ari radicem ſingulari virtute *Hernioſis* auxiliari, quibus puluis, drachmæ circiter pondere, aut paulo minus, exhibitus in liquore conuenienti, non ſolum ſurſum reuocat, retrahitque procidentias, ſed & peritonæi rupturam conſolidat, ſi vel ſupini per dies aliquot decumbant ægroti, vel ligamentis pars affecta muniatur. Dari poteſt cum ſucceſſu cum pulueribus diffuſis aliis, hoc nomine in praxi vſitatis, e traumaticis & carminatiuis conſtantibus.

Quod ſi *medii ventris* affectus luſtremus, non parum emolumenti fœnerat thoraci laudatiſſimum arum, in tuſſi inueterata, catarrhis craſſis, viſcidis, ſuffocatiuis, dyſpnœa, aſthmate cachectico, & alio. Imo *Com* in pleuritide ipſa, non ſuccedente ſputo, & ſtertente pectore, vt & in empyemate ex peripneumonia, radicem ari commendat, quamuis in priori affectu *ἄρε τ͂ μεγάλε ari magni radicem* nominet.

Facit huc puluis noſter pectoralis, quem ſpecies diaireos reformatas vocare integrum eſt, vtut reuera radix ari in inciſione præ aliis omnibus excellat. Recipitur etiam hoc nomine non incommode in linctus, vti in raucedine, a catarrhis proueniente, etiam puero quadrienni per modum linctus exhibuit *Gregor. Horſtius l. 3. obſ. 24. t. 2. p. 148.* quod ℞. rad. aronis cum æquali parte ſacch. canti permixtæ q. ſ. add. parum ſir. violar. vel de hiſpidula, alioue. Hoc ſolo remedio, multis adhibitis, nihil efficacius & præſtantius obſeruauit, quod hinc merito ex eodem excerptum dilaudat *Höfferus Herc. med. l. 1. p. 72.*

Nec ſine effectu in elixiria pectoralia, & formulas alias pro vſu hoc becchico, thoracico, arteriaco recipitur; imo in *phthiſi* ipſa omnino rectiſſime in vſum cedit, cum vlceribus profit, cum cacochymiæ ſcorbuticæ, cum obſtructionibus infimi ventris, cum aliis; vnde & *Raius* hoc caſu ex aliis cum floribus ſulphuris commendat.

Ne

Ne quid diſſiteamur, etiam vis *bezoardica* aro tribuitur a non paucis, adeoque & cordialis, quo de videatur *Manardus apud Meſuen in comment. f. 75. b.* Idemque confirmat *Fr. Hoffmannus Claue in Schröderum*, qui & ingrediens aquæ bezoardicæ contra peſtem laudat, ne *Plinium* & *Tragum* idem affirmantem laudemus. Enimuero non abludit ratio. Arum enim putrilagini lymphæ ſcorbuticæ contrariatur, viſcedinem reſoluit, fermenta natiua tutatur. Quis neſcit vero ſcorbuticum miaſma fouere & putredinem febrilem, & contagioſas moleculas foueri minera viſcida, & ab infimo ventre non parum, ac cacochymia ipſa in vniuerſum?

Recipitur hinc in THERIACAM PAUPERUM non immerito ab *Angelo Sala, Tr. de peſte, p. m. 451.* quod peſtem & malignitatem arceat, vt idem alibi, *loco ſupra citato*, aſſerit, ſatis candidus ſcriptor. Ibidem & feculæ loco puluerem ſimplicem recipi poſſe recte aſſerit.

Sin ad *capitis* animum attendamus *affectus*, cum ex iisdem fontibus ſcaturiant vel augeantur plerique, vt melancholia, eſſentialis & hypochondriaca, epilepſia, catarrhi, apoplexia, paralyſis, incubus, & alii, ſane ſingulis illis dotes ſuas fœnerat arum vberrime. Neque ſatis puluis aperitiuus cinnabarinus & in his caſibus laudari poteſt.

Vidimus inde effectus ſingulares, & in pulueris forma, & electuarii, remiſcendo eundem cum elect. de baccis lauri, addendo & ſubſtituendo appropriata ſelectiora alia, quæ confermentata inuicem amurcam venarum abſtergunt, gas elaſticum peregrinum diſſipant, lympham varie alteratam corrigunt, fibras & elaterem exuſcitant, & ſic multis modis proſunt. Neque enim deſpectui habenda eſt ſimplicitas & vilitas medicamenti ἀπόρϛου, quin tanto nobilius exiſtit, quanto abiectiori in claſſe militare videtur, & præſentiori tamen effectu ſe commendat.

Sed & *externo vſu* non vno celebre eſt arum. Cum enim abſtergat, ſiccet, extricet, putrilagini reſiſtat, acre ſit,

per

per dicta, facile & huius applicationis rationes patere poſſunt. Eminet inter hos vſus coſmeticus, & σμηκτικός, ſaponarius. Hodierno inuento lotione ſicca extergi poſſunt delicatiorum linteaminum, inprimis circinatorum ornamentorum, ſordes contractæ, vt, cum ab aquæ & saponis applicatione concidant facile & ſplendorem ſuum amittant, hoc pacto longo tempore velut noua & recentia appareant. Id vero eximie præſtat & arum ſuo loco, quamuis & aliis id vſitatum ſit perficere, vt pompholyge inprimis.

Refert *Raius l. 21. Hiſt. Plant. c. 18. p. 1209.* ari herba & radicibus circa Maidſton Cantiani agri non ignobile oppidum ad linteamina mundanda ſaponis loco, aut certe eidem admixtis vti; Anglicanas item mulieres ex ari radicibus ſtillatitias aquas ad fucum parare, easque ad faciem erugandam illuſtrandamque magnis laudibus efferre.

Commendat hinc ad varos, & lituras nigricantes, in poris faciem defœdantes, & lentigines, radicem ari *Solenander ſ. 2. conſ. 1. p. 112.* quem puluerem præparatum & per ſe gratiſſimum ac vtiliſſimum deprædicat, quo & ipſe ſolitus ſit ſæpe & multum vti.

Plurimum huc confert inter coſmetica hæc & gerſa ſerpentariæ ipſa, ſeu fecula ari, & inde parata, vnguentum citrinum laudatum, & formulæ aliæ. Deſcribitur a *Schmuckio Theſauriol. 1. ſecret. p. 63.* hunc in finem puluillus ex ☿ dulc. ℈ß. ſacch. ♄. ʒß. fecul. bryon. aron. a. ℈j. applicandus cum ▽ roſar. flor. fabar. ſcrophular. ſigill. Salom. & lilior. alb.

Notabilis quoque vſus eſt ari, *Hippocrati* celebratus, ad vlcera, *l. de vlcer. c. 9. t. 11.* vbi iubet ἄρον ξηρὸν ἐπιπάσσειν, *arum ſiccum inſpergere.* Eoque ipſo loco *t. 13.* egregiam cautelam notauit: ξηρὰ ἀποτρέπει τὰ νεότρωτα διαπυΐσκεσθαι. *Sicca recentia vulnera prohibent ſuppurari*, ſecus ac interpres Latinus vitioſe vertit fontes. Et *capite 11. t. 9.* arum coctum, læuigatum, aut tritum ſiccum, melle ſubactum, (non oleo, vt falſo iterum interpres,) ad replenda caua, pura, vlcera

commendat; ne memoremus, laudari ibidem ab eodem herbam aliam, cuius folium aro natura ſimile ſit. Fallor? an hæc ipſiſſima eſt bryonia, cuius foliis fere iisdem verbis *Plinius* adſcribit hederæ magnitudinem.

Confirmat idem *Anazarbæus*, qui (ἀπὸ τ̃ κοινοῦ, ob conuenientiam ipſimet laudatam de dracontio id prædicans,) vlcera maligna & phagædenica cum melle & bryonia alba tritam radicem expurgare, & ad cicatricem perducere ſcribit *l. 1. c. 196.* ne dicamus ſuccum illitum ad carcinomata ſiſtenda eundem commendare.

Quid multa? radicem ari remedium eſſe ad cancrum longe optimum non vna teſtantur autorum elogia. Inſtar omnium *Quercetanus Pharm. dogmat. reſtit. l. c. p. 449.* puluerem radicis ari, in vmbra rite reſiccati, verum ſcribit eſſe domitorem & expulſorem veneni arſenicalis cancri, vlcerati puta, ſi præſertim ipſi parum arſenici fixi admiſceatur.

Et hoc ipſum fuit arcanum Antonii Fuchſii, quod *Roder. a Caſtro l. 1. de morb. mul. c. 21.* & *Sennertus in Prax. l. 4. p. 3. ſ. 1. c. 7. p. 502. ſeqq.* deſcribunt, ex arſenici cum ∀i infuſione vel vſtione correcti ℥j. rad. dracunculi maioris, ſeu reuera ari, ℥ij. fuliginis camini ſplendentis ʒiij. Succincte eundem hunc recenſet *Hartmannus in praxi c. 265. §. 9. p. m. 353.* ſub pulueris benedicti nomine, quamuis non nominato autore, ſiue iam Quercetanus primus ille fuerit, ſiue Fuchſius hic, cœteroquin minus notus, nec cum Leonhardo confundendus.

Vtut vero in deſperato illo caſu rarius paulo, in cancro vero, perfecta ſuccedat curatio, obſeruauimus tamen non irritam farinæ radicis ari inſperſionem, inprimis ichore ſimul maligno profluente largius, ſeu ſolius quoque, ſeu cum ſanguine draconis, & aliis.

℞. rad. ar. ℥ij. fl. 🜍, ſeu mineralis, ſeu vegetabilis quoque, lap. calam. cryſtall. montan. ppt. ſangu. drac. myrrh. finiſſ. lact. ☽æ a. ʒj. camph. ʒß. M. F. pulu. ſubtil. Interpolari vero meretur balſamum ex ꝏ ♀, C. C. & balſ. Peruu. ſi fœtor & putrilago id indicent magis.

Hæc

Hæc omnia & alia latius etiam recenſentur & repetuntur apud *Meſuen*. Reſoluit abſceſſus, & duritiem ſplenis. Confert vlceribus malignis & fiſtuloſis, conſumit hyperſarcoſin & callum, polypum & cancrum mammarum. Neque opus eſt illa omnia huc transſcribere, inde repetenda facile. Tacemus vſum in podagra, cum fimo bubulo, *Dioſcoridi* jam tactum. Credibile eſt etiam, in eryſipelate cum aliis appropriatis notis, loco farinæ fabarum, vel cum eadem quoque, vtiliter farinam hanc ari applicari poſſe, quod re ipſa comprobabit praxis.

Non reticendus hic eſt vſus ari in ſanandis ſtrumis, nondum obfirmatis. Præſtat hunc non ſolum internum, pulueribus ad ſtrumas remiſcendum admodum conuenienter: quod mucilaginem pituitoſam, cauſam continentem, in glandulis colli impactam & ſubſiſtentem, apprime diſiiciat; ſed etiam externe. Refert id *Thomas Iordan. deſcr. aq. medic. Moravu. p. 98.* multum ſpei collocari a nonnullis in radicis ari pulueris, aruina recenti ſubacti, continuo diuturnoque vſu.

Eundem & in bubonibus & carbunculis exerit, ſeu impoſita folia fuerint, ſeu in vnguentum cum butyro frixum redigatur, quo de *Tragus* videri meretur. Idem de hæmorrhoidibus dictum eſto, quibus dolentibus arum magnum eſſe iuuamentum expertus *Meſue* & alii confirmant; ne de abſceſſibus rumpendis, & πρὸς τὰ φύματα, *ad fracta* ipſa vtile, teſte *Ereſio l. 7. Hiſt. Pl. c. 12. p. 347.* & ſimilia plura repetamus non contemnenda, a *Dioſcoride*, & aliis memorata abunde.

Ingreditur & *peſſos vterinos*, ſi diuinum *Hippocratem* audiamus. Hic enim, quod ſuperius innuimus, λευ-κὴν ῥίζαν, *albam radicem*, ita enim vocat digniſſimo titulo, non ſolum ad puerperia & vterum purgandum apponere iubet, tritam ac vnguento roſaceo ſubactam, *l. de Nat. Mul. c. 29. t. 45.* ſed etiam in glandem efformare,

loco citato t. 106. & *l. 1. de Morb. Mulier. c. 119. t. 6.* τὴν λευκὴν ῥίζαν, *ait*, τρίβειν λείην, καὶ μέλι ἐπιχέας, καὶ ἀναζέσας, βάλανόν τε ποιήσας προστίθει. *Radicem albam terito, & melle affuso feruefactam in glandem redigito, ac apponito.*

Eodem iure ac modo inde confecta *suppositoria* commode ano induntur, ad aluum expediendam; siquidem acrimonia sua, retusa sic & correcta, non minus ac lubricandi virtute excipienti melli incorporata radix vires eiusdem auget.

Tangenda vero & NOXA est, quam timidioribus inferre posse videtur, cordatis medicis aliter longe persuasis, nisi quis abuti velit; quo de intelligendus fuerit *Mesue*, qui acuitate sua nocere stomacho & hepati debilibus scribit, faciens affluxum & mordicans; vnde nec corrigentibus aliis additamentis, vt mastiche, præterquam superius tactis, indiget. Neque enim vel ventriculo infert tristem sensum, vt linguæ solet, improuide degustatum, vel corpori. Hinc quando aroniam acrimoniam humorum nominant *Paracelsus*, *Quercetanus* & alii, non id sinistre interpretandum est; eo ipso enim non tam noxa, quam simile quoddam, idque præternaturale asseritur, morbificum & excedens. Cœteroqui enim iam tetigimus, diuerso respectu, lactis, aceti, mellis, coctionis, fermentationis aliorumque beneficio corrigi satis posse; maligna vero & virosa affectione carere certum est omnino.

Denique & seplasiariis aliquando lucripetis ad adulteranda aromata, (nominatim zingiber,) radicum ari puluerem fraudulenter adhiberi, meminit *Hornick Politia Medica Tit. 12. p. 150.* id quod in republica non ferendum, etiamsi vel maxime nulla noxa inde fuerit timenda.

SOLI DEO GLORIA.